Kotulecki Albertus

Kotulecki Alberti Concentus lyricus.

CONCENTVS LYRICVS,

Clarißimo, & Admodum Reńdo Domino,

D. M. ALBERTO ŁANCVCKI,

I. V. Licentiato, & Professori, Ecclesiæ Collegiatæ SS. Omnium Cancellario, S. Michaelis in Arce Cracouiensi Canonico, Parocho Luboricensi, &c. &c.

DVM

In florẽtissimâ Nobilissimorũ hospitũ, & Academici Senatûs Coronâ ad ædes Omnium SS. I. V. Doctor ritu Solenni

RENVNTIARETVR,

In Signum debitæ gratitudinis, & Obseruantiæ,

A

M. ALBERTO KOTVLECKI, P. D. S. S. SS. Omnium,

festiuo citharæ Applausu,

DECANTATVS.

Anno Domini M. DC. LVIII. IV. Calendas Nouembris

CRACOVIÆ,
Apud Viduam Lucæ Kupisz, S. R. M. Typogr.

IN STEMMA ALMÆ ACADEMIÆ CRACOVIENSIS.



Sceptra coronato ſunt vertice, nempe togatæ
Virtutis ſummum gloria culmen habet.

Clarissimo, & Admodum Rndo Domino,

D. ALBERTO LANCVCKI,

I. V. L. & Profess: Cancell: SS. Omnium Canonico S. Michaelis in Arce, Parocho Luboricensi, &c, &c.

NEquaquam Cliens Tuus essem Clarißime & Admodum Reuerende Domine Patrone, & Mecænas Colendissime si ad Tuam Solennem Doctoralis Ascensus Prærogatiuam altum mihi imponerem silentium. Ita enim sum Tuis magnis cumulatus beneficijs, vt nisi ijs partim officio, partim deprædicatione gratum me exhiberem: minimè omnium eo nomine dignus judicarer. Etsi autem probè intelligo quàm exiguas ingenij opes habeam; támen in hisce solennibus quas video certatim Tibi institui cõgratulationibus meum quoq; hoc Obligatissimi animi argumentum, & debitũ gratitudinis tributum reddendum censui. Excitat nimirum me Tua singularis beneficentia, prouocant innumera prorsus liberalissimè effusa beneficia, quæ dùm incurrunt in mentem meritò TE Patronum, Fautorem, Benefactorem vendicare sibi possunt. Quo ad enim mens mea longissimè respicere potest Curriculum ante acti temporis, & memoriam Tuorum beneficiorum recordari vltimam simul atq; in sinum Benignæ Parẽtis Academiæ receptus sum, Te adeò propẽsioni, Patrocinio, Liberalitati erga me deditum esse volueras; vt in Tuo pectore eas sibi sedem fixisse, domiciliumq; locasse apertissime declarares. Et quãvis multos Clientes Tuos, frequentius respiceres; me tamen ante alios singulari quodam affectu, & innatâ Tibi propensione semper in oculis ferebas. Nec dùm abstulit obliuio, in Seminario Gnesnensi Archidiecæsano cùm Tuo lateri adhæsissem, quæ, & quanta in me amoris Tui indicia testatus es, quàm diligentem cùm de vitâ periclitarer curam, & sollicitudinem adhibuisti; vt Tuis vsibus destinatũ auxilio DEI succurren-

te pristinæ restitueres valetudini. Manet illud, manebitq; in recenti, ad extremū vsq; vitæ diem apud me memoriâ, quod vtrāq; in artibus & Philosophia Lauream. Tuis nedùm saluberrimis Consilijs; sed liberalitatis etiam præsidijs obtinuerim. At non hic finis est Tui amoris, & Pijssimi affectus in me Clientem Tuum, maiora etiam in dies præstare soles, & largá, liberaliq; manu conferre beneficia, quorum memoriam nulla vnquā apud me delebit obliuio. Sed enim illā quā nuper exhibuisti Paternæ beneuolētiæ effusionē nō possū tacitus præterire, quod cùm Deo permittēte hostis rerū in Vrbe hác Metropoleos potiretur, cū sacris, profanisq; rebus nō parceret mihi quoq; ea obtigisset infelicitas, vt citrà hoc, quod rebus meis orbatus in grauem deinde morbum delapsus, totius fermè anni interstitio lecto affixus decumberem, tàm afflicto, & in fausto apud me tēpore in singulas horas ut afflictæ consideres valetudini, quid non egisti? quoties hanc ipsā domū, quā in habito adire non dubitasti: Vtinā quidē possem verbis omnia complecti, quæ mihi de Te in animo insita, penitusq; affixa sunt, sed si hæc præstare nequeo, quod meos eloquendi, exprimēdiq; conatus Tuorū beneficiorū copia obruit, illud profectò dicā, quod in promptu est, vsq; adeò me Tuo affectu, beneuolentiâ, & studio esse captum vt nunquā mihi ex animo, eorum omniū memoria effluere possit. Attollāt hîc alij quisq; pro suo libitu, & genij, atq; ingenij impetu, siue eruditionis dignitatem, siue morū grauitatē, siue dictionis vbertatē, siue constantiā in aduersis, cæterasq; excelsas Tui animi dotes; mihi satis est tantis meritis atq; virtutibus Ornatissimo Viro, perpetuā in vitâ apprecari felicitatē Tu interim Claris: & Amdùm. Rńde Dńe. fruere ista laborū meritorūq; Tuorum coronâ, & gloriâ per quàm auspicatissime: cedant Tibi in hoc primo aditu, ad Iuridicæ facultatis Doctoratū sine nube dies: supremus ille omniū rerū Architectus Tuam Claris: & Amdùm. Rńdā. Dńē. Academiæ Patriæ Ecclesiæ, saluam & Incolumem conseruet in annos quam plurimos etiam de meis vitam superaddat annis. Hoc Tibi Vniuersitas Alma comprecatur: hoc Inclyta Facultas Iuridica congratulatur: hoc omnes boni exoptant: hoc ego Cliens, Tuo nomini deditissimus vota votis, accumulans voveo.

M. ALBERTVS KOTVLECKI, P. D. S, S. SS. O.

CONCENTVS LYRICVS,

Togata quisquis prælia diligit,
Laurûs Virentes, lætaque cogitet
Trophæa. Qui virtute certat
Emeritas numerare palmas
Victor quieto sueuit in otio,
Fessumque doctâ fronde tegit caput
Centumque sudorum beatos
Vberibus remeare fructus
Sentit fluentis. Nemo laboribus
Æterna doctæ præmia gloriæ,
Stoæqne supremos honores
Non meruit niueæque pulchrum
Insigne frontis, quale Tibi Themis,
Consusque defert, grandeque Cracici
Votum senatûs, ô mearum
Grande decus, columenque rerum!
Sydus coruscum Iuris, & aureæ
Facunda suadæ gloria, Principum
Cor dulce LANCVCKI Virorum
Dulci loquæ Speculum, jubarque
Humanitatis; quidquid enim TVIS
Nunc Alma defert Pallas honoribus,
Virtus id, eruditioque
Iàm grauibus meruêre curis.

Inter ſophorum nàm quid erat TVI
Cætus togatos, dotibus ingenî
Magis coruſcum? cui diſerti
Nectaris Ambroſiæque tanta
Fauiſſe viſa eſt copia? quàm TVIS
Quæ dulcè labris condita per ſacras
Latè triumphauit cathedras
Corda rapax, animosque gratis
Trahens catenis. talis erat Mitræ
GNESNENSIS, inter celſa ſacraria,
LVBINIANO dùm Biſonti
Propter opes animi eminentis
Multum placebas. talis & arduos
Inter labores, doctaque pulpita,
LVBRANSCIANAS inter, altæ
Pieridesque ſcholasque Poſnæ,
Magno togati viſus es ordinis
Stetiſſe Patri Mitrigeri chori,
REGISq; SZOLDRSCIO VLADISLAI
Delicio, ſtudijque firmæ
Noſtri columnæ, cuius amoribus
Virtus, & alti TE decus ingenî
Fecêre gratum, pectorisque
Præſulei medio locârunt.
At ô quis in TE nobilium canet
Congeſta grati munera pectoris?
Vocesque, plauſusque, & fauentis
Quis referet monumenta cordis.

Illud-

Jlludq́ue pectus, quod mera puritas
Merusq́ue candor, dulcis & incolit,
Morumq́ue ſuauitas, ſacriq́ue
Eloquij, probitasq́ue vitæ
Iuris ſupremæ juncta ſcientiæ,
Tantaq́ue ſummi judicij micans
Cum laude, totq́ue jam per annos
Cura vigil, ſolidusq́ue doctæ
Labor cathedræ, qui Tibi lauream
Nunc ecce ſummam Juſtinianei
Cætûs, Cathedrarumq́ue juris
Emeritum peperit cacumen;
Quod laureati verticis Inclytum
Decus, canoris, nunc fidibus Tibi
Dum gratulatur Magne Doctor,
Muſa, Tuo dicat ecce ſacrum
Melos honori, totq́ue Academico
TE optat Lycæo ſæcula viuere,
Dotes quot in TE literatas
Palladij venerantur Orbis
Auguſta Patrum lumina, queîs novum
TE ſydus addit feſta dies Tui
Præſens honoris, celſiore
Quæ ſolio Themidis reponit
Tuos labores; quod Tibi Fauſtitas,
Vtipſa, ſummi dextraq́ue Numinis
Diu ſecundet apprecatur
Pindarico mea Muſa plectro.

Sub Felicissimis Auspicijs,

Magnifici, Clarissimi, & Excellentissimi Dñi,

D. M. FRANCISCI ROLINSKI,

Philosophiæ, & Medicinæ Doctoris, & Professoris, Almæ Vniuersitatis, Studij Generalis, Academiæ Cracouiensis,

RECTORIS

Vigilantissimi.